

necesse est aliquos primos effectus, a quibus alii dependent, reducere ad meram ipsius voluntatem, cui plenissime subjiciuntur omnia tam quoad directionem in bonum, quam quoad permissionem deficientiæ in malo; est enim supremus gubernator causarum contingentium, et liberarum, quibus licet ex priori, et antecedente voluntate, quæ tantum respicit bonitatem ipsam divinam secundum se, et ipsius naturæ rationem, et ordinem secundum se, velit bonum, et ordinet ad bonum finem, tamen attendendo ad ipsam naturam contingentem, quæ operatur ad utramque partem ad bonum et malum, et defectibiliter ad hoc et ad illud, pertinet ad ipsam providentiam primi gubernatoris, et auctoris naturæ contingentis permittere plures defectus, non solum temporales, sed etiam æternos, quia totum hoc in natura contingenti, et defectibili libera locum habet. Non autem hoc pertinet ad gubernatores inferiores, et creatos, quia isti non sunt auctores naturæ contingentis, et liberæ, sed directores tantum ad finem illis præstitutum, et secundum legem quam Deus eis imposuit. Unde non pertinet ad ipsos permittere defectus, sed reprimere, neque intendere ostensionem justitiæ, sed uti illa ex suppositione culpæ. At vero auctoris naturæ, et omnium gubernatori convenit propter exigentiam contingentis, et defectibilitatis naturæ permittere defectus, et locum dare omnibus virtutibus, etiam justitiæ punitivæ, et sic ordinare de toto universo. Unde necesse est, quod sine ulla crudelitatis, aut injustitiæ nota, sed totum ratione summæ, et primæ providentiæ, quæ nihil supponit provisum, sed omnibus providet, ipsas primas permissiones, aut defectus a bono, sive ad tempus, sive in perpetuum permittat, non ex aliquo præsupposito

peccato, quia si aliquod peccatum præsupponit, cum illud non nisi ex permissione Dei accidat, rursus inquiretur ex quo motivo Deus illud permittat, et cum non sit procedere in infinitum, deveniendum est ad alienam permissionem, quæ non ex priori aliqua culpa permittatur, et illa permissio potest esse de peccato, ut nunquam remittendo, sicut patet in Angelorum peccato, quod fuit irremissibile: nullum enim eis remissum est, et in multis etiam parvulis, quibus nulla decreta est remissio. Si ergo in Deo non est inconueniens, sed necessario ponendum est quod aliquas permissiones peccatorum faciat, etiam irremissibiles, non præsupponendo aliquam culpam in subjecto, sed ex aliquo fine sui divini iudicii, vel justitiæ, etiam non erit inconueniens, quod Deus incipiat providentiam reprobativam antecederet ad omnem culpam prævisam, sed excludendo ab illo fine propter gloriam suam in ostensionem justitiæ, vel propter alium finem similem. Patet consequens, quia non minoris jacturæ est denegare, et excludere a gratia irremissibiliter, quam excludere a gloria; si autem exclusio a gloria supponit exclusionem a gratia, nec Deus sit crudelis, et suæ bonitatis prævaricator, ipsa exclusio a gratia irremissibiliter, quomodo providetur, et permittitur a Deo ex seipso, et non præsupponendo aliam culpam sine ulla crudelitatis nota vel bonitatis diminutione?

XVIII. Quod si semel habemus, Deum a gratia perpetuo excludere aliquem sine motivo alicujus culpæ ex parte nostra propter jus summæ providentiæ: ergo bene stat, et conformius ad naturam ipsam divinæ providentiæ, philosophamur dicendo, quod ex voluntate illa Dei circa ultimum finem procedit Deus in reprobis ad excludendum illos a

gratia, et permittendum peccata. Patet hoc, quia reprobatio est specialis providentia ex speciali fine procedens. Nullus autem finis specialior in reprobis invenitur, quam qui amittitur ab ipsis, qui est beatitudo, et contraponitur fini prædestinationis, cum communiter nomine reprobationis intelligamus providentiam oppositam prædestinationi, quæ contrario effectu, atque opposito modo procedit circa finem prædestinationis, atque ipsa prædestinatio: ergo nullum est inconueniens quod intra providentiam reprobativam cadat iste effectus, qui est permissio peccati non remissibilis, ortus ex speciali intentione circa finem ultimum a quo procedit reprobis. Patet hoc, quia si Deus potest habere voluntatem permittendi peccatum, non remissibile, cui necessario est conjuncta exclusio a regno, ex aliquo fine proprio ipsius Dei, et non ex demerito hominis, cur non poterit etiam ex eodem fine sibi proprio, et ante prævisum, et permissum demeritum hominis velle exclusionem æternam a regno, et inde moveri ad permittendum illud peccatum, cum potius in hoc reluceat ordo connaturalis procedendi a fine ad media, seu a denegatione finis indebiti ad negationem mediorum quæ non debentur? Quod si opposito modo procedatur, scilicet a negatione gratiæ, ad negationem gloriæ, rursus illi negationi gratiæ finis aliquis et motivum præstituendum est, et non ex aliquo demerito priori, ut ostensum est ne detur processus in infinitum: ex aliquo ergo fine proprio Dei, v. g. ad ostensionem alicujus attributi, vel ex aliquo proprio creaturæ, quia ita exigit libera, et contingens natura nostra de se defectibilis, quod etiam currit in exclusionem a gloria, quæ ex simili motivo potest esse volita a Deo. Ex quocumque autem

fine sit volita exclusio perpetua a gratia, non est cur non pertineat ad providentiam reprobativam, cum illi sit necessario, et infallibiliter annexa exclusio a gloria, quæ manifeste effectus est reprobationis; et solum videbitur esse quæstio de nomine, an illa sit, vel non sit dicenda reprobatio, et connaturalius procedat a proprio fine ad media, sive a denegatione finis gloriæ ad negationem mediorum, seu gratiæ.

Quomodo autem cum voluntate excludendi a gloria stet voluntas antecedens dandi illam, et salvandi omnes, non est difficile videre, cum una sit inefficax voluntas, et quasi conditionata, et quantum est ex parte bonitatis divinæ præcise, si per nos non steterit, alia absoluta, et attentis omnibus circumstantiis, et ipso fine gloriæ divinæ sic volito. Plura autem argumenta contra hanc sententiam, sequentibus duobus articulis solventur.

CALVINISMUS HUIC SENTENTIÆ INSIPIENTER OBJECTUS.

XIX. Auctores, qui Calviniano errore hanc sententiam gravant, aut Calvini sensum non viderunt, nec expenderunt, aut istam sententiam D. Thomæ nimis despexerunt. Certe majori attentione opus est nec præcipitandum judicium cum de catholicorum sententiis agitur, ut hæreticorum errore notentur, cum tam longe absint ab hæreticorum sensu. Quæ enim major injuria potest alicui inuri, quam ejus sententiam hæreticam appellare, et cum hæreticorum erroribus involvere? Non nego posse in argumentis quæ fiunt contra aliquas sententias aliquando inferri tamquam inconueniens, quod oppositum est erroneum, aut hæreticum, quasi illationis vi, et argumento id inducendo;

sed tamen ita libere affirmare sententiam hanc quam dicunt esse tot gravissimorum, et catholicorum auctorum, esse etiam sententiam Calvinii, ut facit p. Alarcon tract. IV de prædestinatione, disp. V, cap. I, n. I et VII, fateor me ignorare quomodo christianæ charitati, modestiæque conveniat. Nec video qua fronte disputationes, quæ inter catholicos, et religiosos viros sine contentione, ut Apostolus monet, sine amaritudine, et felle, solius veritatis indagandæ causa, tractandæ sunt, ad tam amara verba, imo gravissimam contumeliam reducuntur. Sed ne in causa hujus injuriæ, et perperam objecti nobis Calviniani erroris toties hæerere videamur, et silentium atque indefensio veritatis in D. Thoma et tot illustrium Thomistarum sententia non patientiam operetur, sed ignominiam, et defectum, ostendam, objectionem istam ex sola, et mera calumnia aut ignorantia posse procedere: verissimum est enim quod Spiritus sanctus proverb. X nos consolatur, et docet: *Qui contumeliam profert, insipiens est.*

XX. Calvinus in suo errore persistens dixit Deum sua motione, et efficacia nostrum tollere arbitrium, ideoque excitantem gratiam dnegavit, et solum posuit gratiam moventem motione ita cæca, quod sublata omni excitatione indifferenti, libertatem quoque everteret, et ageret nos, sicut agitur equus a sessore, quem solum fræno, et calcaribus agit, non consilio, et excitatione. Hoc errore imbutus hæreticus, consequenter posuit decretum divinum æque agere, et prosternere nos in peccata, et in virtute, nec minus esse opus Dei traditionem Judæ, quam conversionem Pauli, quia cum per divinum illud decretum tolleretur rationem liberi, et voluntarii a nostris actibus, excludebat

consequenter omnem rationem malitiæ, et aversionis, quæ pertinet ad formale peccati; et sic ex decreto divino nos dixit impelli in malum, et in damnationem in executione nulla habita ratione demeriti, et culpæ ex parte nostra. Quod est ponere reprobationem divinam, non solum incipere in ordine intentionis ex voluntate excludente a fine ultimo ante prævisa seu præsupposita demerita, ut motiva illius voluntatis intentivæ, sed etiam in executione nos damnare, atque excludere a regno, sine ullis demeritis, et culpa ex parte nostra, quia ipsa efficacia decreti talis erat, quod in executione tolleretur culpam, et rationem peccati ac demeriti; et sic in executione etiam condemnaret et excluderet a regno, non ex vi demeriti, sed ex sua voluntate sic impellente, et prosternente nos, et libertatem nostram. Hic est sensus Calviniani, et execrandi erroris, hæc ejus sententia fuit, ut abunde probatum est a nobis supra disp. III, articulo ultimo, et præcedenti tomo, disp. XX, art. V et VI, et aliis locis.

XXI. Jam vero, qui hunc sensum Calvinii perspectum habuerit, qua fronte potest talem errorem sententiæ D. Thomæ et Thomistarum objicere, cum potius S. Thomas quasi præveniens hujus hæretici blasphemiam, et hanc in suam sententiam calumniam, sic scripserit in contra gentil. capite ultimo: « Sic igitur patet, quod prædestinatio, et electio, et reprobatio est quædam pars divinæ providentiæ secundum quod homines ex divina providentiâ ordinantur in ultimum finem: unde per eadem manifestum esse potest quod prædestinatio, et electio necessitatem non inducunt, quibus ut supra ostensum est, quod divina providentiâ contingentiam a rebus non aufert. » Cum ergo S. Thomas

ponat in articulo tertio hujus quæstionis, quod reprobatio dicit providentiam, quæ includit voluntatem permittendi culpam, et inferendi damnationis pœnam, solum ponit voluntatem, seu providentiam reprobativam antecedenter ad permissionem culpæ, et antecedenter ad demerita, ut motiva illius intentionis, sicut supra diximus de electione ad gloriam ante prævisa merita, ut motiva, cum enim sit causa illorum meritorum, et sit etiam causa ex fine præintento permissionis demeritorum quomodo potest intelligi, quod illa non præveniat; et sic non utatur illis ut motivis antecedentibus se, sed ut consecutis? Quod totum currit ordine intentionis; ordine tamen executionis non datur illa gloria intenta sine meritis, nec illa condemnatio sine demeritis, et vera culpa, quia illa providentiâ, etiam si sic antecedit ordine intentionis, et etiam si sic moveat ad executionem, non tollit contingentiam, et libertatem, sed causat, ut sæpe a nobis est ostensum, quia ob sui universalissimam rationem etiam est causa libertatis nostræ. Quomodo ergo stat hoc cum errore Calvinii, qui ponit decretum Dei reprobativum, et prædestinativum, non solum ordine intentionis antecedens merita, et demerita ut motiva, et causas sui (in quo cum ipso non est disputatio) sed etiam in executione omnia demerita, et rationem culpæ in nobis tollens, et sic decernens reprobationem antecedenter, quod tollat in executione libertatem? Solum quia Calvinus posuit illud decretum antecedenter movens, et Thomistæ ponunt etiam antecedenter se habere ad nostram voluntatem, ex hac solum generali ratione, seu nomine antecedentiæ voluntatis isti auctores errorem Calvinii esse sententiam Thomistarum; cum isti po-

nant decretum antecedens, causans, et fovens libertatem, dansque excitantem gratiam, et non solum pure moventem; ille ponat decretum antecedens ita pure movens, quod tollat indifferentiam, et excitationem, et libertatem. Multiplex potest esse antecedentia libertatis, non una; antecedit causa libertatem servans, et causans, antecedit et destruens. Ergo qui ponit antecedentiam causativam, ponit destructivam, ut Calvinus? Hoc fundamentum habet libido gravandi sententiam Thomistarum.

ARTICULUS II.

Utrum ex parte reprobi detur causa reprobationis?

I. Supponendum est primo, tamquam certum, quod si reprobatio inadæquate accipiatur pro actu justitiæ punitivæ, et ipsa exclusio a regno pro pœna in executione inflictâ, necessario debet assignari causa reprobationis ex parte reprobi, scilicet demeritum, et culpa propter quam damnatur. Cujus rationem recte assignat S. Thomas ad Annibaldum, dist. XLI, quæstione unica, art. III: « Quia voluntas damnationis respicit rationem voliti ex parte damnati, cum damnatio ex debito inferatur. » Ergo necessario supponit culpam, seu demeritum ex parte hominis, quia debitum quod respicitur a justitia condemnante, et puniente solum est debitum culpæ, seu demeritum. Et ita super caput IX ad Rom. lect. II, dicit quod: « Præscientia peccatorum potest esse aliqua ratio reprobationis ex parte pœnæ. » Et Augustinus III contra Julianum, c. XVIII: « Potest, inquit, Deus aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est, non po-